

1827

C O D I C E S

1828

potest demonstrari et probari. Est itaque a Vobis illi ipsi etiam quanto erit moribus deterior, concedendus ordo ille, quo tam impune iam tot saeculis abutitur, ut possit peccati summus gradus in eum et non in alium rejici. Sed pertaesum jam est nugarum, quibus inductus quis facile literas N. R. I. supra adductas interpretetur: Novam Religionem Instituit.

XXV. fol. 475. *Dissertatio Theologi cujusdam Catholici de vera Ecclesia ex S. Literis, sententiis PP. et Hist. Eccl. sano iudicio congesta, quae incipit: Quum plerique infelici hoc nostro seculo sacrosanctae Ecclesiae antiquitatem, Majestatem, Auctoritatem simul atque unitatem, tum propter certos abusum, superstitiones, et alia id genus Zizania, quae in eandem irrepsisse vix negari potest, tum et propter ecclesiasticorum vitia, quae et ipsa dissimulari nequeunt, ita impugnent &c. Fridericine Nauseae? an Frid. Staphyli, aut Ge. Wicelii?*

XXVI. fol. 488. *Collectanea polemica sermone italo primum sic inscripta: Conclusione Catholice tratte da S. Agostino contra gl' Heretici moderni. Dein sic: Nota d'alcune Hereste condannate dalla Santa Chiesa gia sono più di mil anni. Fortasse Nuntii cujusdam Pontificii ad aulam Ferdinandi I.*

XXVII. fol. novo 395. *Commentarii Actorum in Conventu Ordinum Protestantium inferioris Austriae a 5. Junii 1614. ad diem 19. Januarii 1616. hoc ti-*

tulo: Verzeichnus der Schlußs so in Religions vnd Andern der Löblichen N. Oe. Euangelischen Ständt sachen in des Wohlgebohrnen Herrn, Herrn Sigmund Adam Herrn von vnd zu Traun auf Meißau bedienten Verordneten Ambts vom 5. Junij dis 1614. Jahrs ergangen, vnd umb künfftiger bessern nachrichtung willen Hierein Ordentlich beschriben worden. De Secessu Provincialium Protestantium a Catholicis, quin et aerarii separatione confer Conspect. Hist. Universit. ad an. 1613 — 16. et Bern. Raupachii. Evangelisches Oesterr. III. Continuat. p. 323.

CCCCLX.

Codex chartaceus lat. germ. 160 Sec. XVI. Folior. 207. f. ex Adversariis olim Johannis Fabri Episcopi Vienn. ab eoque donatus Collegio D. Nicolai, ut praefixus codicillus impressus, et alter manu Wenceslai Cedlitzer scriptus 1540. testantur, continet sequentia: I. Collectanea quaedam in L. Geneleos Fabri ἀντρογχαφα 1538. ut in tergo Voluminis notatur.

II. fol. 17. Ejusdem Fabri Libellus consolatorius de super-admirabili — pro quinque beluetiorum utpote lucernę Vranig. Schwicz. Vnderwaldę ac Zuge partibus recens largita victoria. Anno a nato Jesu M. D. XXXII. Constat prolixo Praefamine et VIII. Capitibus, impressusque legitur inter alia Fabri Opera Colon.

1829

P O L E M I C I

1830

lon. per *Henr. Quentel* 1539. fol. CXXXIV. f. Extat *Henr. Bullingeri* Responsio, in qua differitur, an religionis causa victi sint Heluetij Euangelicae professionis, anno Domini 1532. *Opp. T. IX.*

III. fol. 81. *Pauli Bidzowini Parochi ecclesie D. Galli in antiqua ciuitate pragensi contra Waldensium et Pighardorum errores et impias assertiones* Libellus ad *Ferdinandum I.* In Dedicatione, quae data est 1538. conqueritur mellitis hujus Sectae sermonibus plane Proceres quosdam inductos, ut illius innocentiam Regi testarentur, rogatque, ut Rex libelli hujus impressionem lingua *Bobemica* permittere velit, quo contrarium omnes edoceantur. In ipso vero Libello *Waldensium* doctrinam maxime de *Baptismo* et *sacra Caena* exagitat, frequenter ad ea *Johannis Fabri* Opuscula adpellans, quae contra *Waldenses* s. *Picardos* 1528. et 1537. ediderat, in quibus illi multum adridere videtur, quod *Faber* quandoque *Hussi* doctrinam de *Eucharistia Picardis* opposuerit, verbisque illius ad laudem, ut ait, et consolationem fidelibus *Bobemis*, usus sit. Denique sub finem, se ab *Utraquistarum* partibus stare, non obscure innuit. Confer hunc Libellum, si placet, cum *Scriptis Cod. DCCCCLXVII. n. 6. 12. 20. 22. 25. et 27.* Autor noster in *Bibl. Gesn.* ridicule dicitur: *Paulus Bizoninus ecclesiae gallicae parochus Pragae.* In *Bobem. Denis Codd. Theol. V. I. P. II.*

mia docta Balbini non memoratur.

IV. fol. 96. *Joh. Fabri* Literae satisfactoriae ad Ordines Regni Boh. sub *Utraque* de Libro in materia *Eucharistiae* a se scripto, quo illos offendi inaudierat. Librum hunc eum puto, qui nunc P. III. *Opp. Fabri Colon.* 1539. legitur inscriptus: *Confutatio gravissimi erroris assertantis in Sacramento Altaris post consecrationem non esse totum et integrum Christum &c.* quo se per latus *Picardorum* peti *Utraquistae* forsitan suspicabantur. Suspicionem hanc modis omnibus diluere conatur *Faber*, eo maxime, quod etiam *Johannis Hussi* opera ter in suam sententiam citaverit. Initium: *Non dubito, Magnificentiae uestrae imo omnes regnicolae a majori ad minimum &c.*

V. fol. 98. *Confessio Fidei Dominorum Sub Utraque.* In nomine domini Amen. Incipit sancta synodus habita et rite celebrata anno Domini MCCCC. XXI. die. VII. Mensis Julij, in inclita Ciuitate Pragensi &c. Praesedisse dicuntur MM. *Joannes de Przi- bram, Procopius de Piltzna, Jacobus de Misna* et *Joannes de noua Ciuitate.* Extat in *J. Cochlaei Hist. Hussit. L. V. p. 186.* et videtur *Fabri* jussu hic inserta, ut vel ex propria sua Synodo conuincantur *Utraquistae*, nullum sibi a Libro supra dicto faceffi negotium.

VI. fol. 102. *Joh. Fabri* Apologia prima ad Regem *Ferdinandum,*

R r

dum,

1831

C O D I C E S

1832

dum, ad quem *Utraquistae* querelas contra mox dictum *Librum* detulerant, oblata 3. *Febr.* 1538. Incipit: *Sacra uestra Regiae Maieitati infinitas ago gratias, que dignata est mihi suo infimo Capellano supplicationem et quedam grauamina — communicare &c.* Capita defensionis sunt, quod Ordinibus *sub utraque* semper affectu et opera fuerit ad dictissimus, quod a multis illorum ad scribendum excitatus, quod non pauci *Libri* partes ante impressionem viderint, quod impressus sit extra Regnum et lingua *Latina*, quod, cum 64. foliis constet, in primis 52. nihil reprehensibile fuerit inventum &c.

VII. fol. 106. Eiusdem *Apologia altera* praelecta Regi 9. *Mart.* 1538. Videntur instituisse Ordines, ut Rex *Fabrum* adigat ad manifestandos eos, qui illi *Job. Hussi* Opera adtulissent, qua suspicione quidam Senatorum *Praagensium* laborabant. Detrectat *Faber*, cum, quod haec Opera publice *Pragae* venderentur, tum, quod haec res, ut ait, *duntaxat rancoris et odii seminarium esset, a quo me alienum esse conuenit, colo enim eum, qui non dissensionis sed pacis est Deus.* Suspicione tamen Senatores liberat, rursusque contendit, nihil in *Libro suo* extare, quod non ipsi *Utraquistarum Libri* *Conistoriales* de Sacramento docerent. Incipit: *Ad presentem supplicationem quam Dominus Administrator, Magistri ac alij sub utraque*

specie ante aliquot dies R. V. M. dederunt &c.

VIII. fol. 111. Syllabus *Adfertionum* maximam partem e schola *Lutheri* depromtarum, quas *Monachus* quidam *Cartbusiensis Olomucii* pro concione declamasse incusatur. Initium est: *Monachus Cartbusiensis reijciens, ac paruipendens omnium maiorum nostrorum hactenus obseruatam consuetudinem &c.* Negotium praecipue vertitur circa *Officia pro Defunctis, Missae Sacrificium, Confessionem paschalem, luxum, avaritiam et ignorantiam Cleri.*

IX. fol. 114. Rursus *Excerpta* ex *L. Geneseos pro certis*, ut in *Titulo* dicitur, *materiis.*

X. fol. 148. *Litterae Anonymi*, quem *Mathiam Heldum Caes. Procancellarium* vel potius *Leonardum Straussium*, de quo paulo post, habeo, ad *Ferdinandum Reg. Rom.* circa *Tractatum Pacis* cum *Principibus Protestantibus* datae *Colonie palee* (sic) in *die Stephani Anno 1539.* Incipiunt: *Precedentibus diebus quoddam scriptum R. M. vestre de dato Viennae 18 Octobris ad me peruenit &c.* Suadetur pax maxime intuitu imminentis *Turcae*, modusque concludendae subjicitur hoc titulo: *Aequa et conuenientia media et consilia tractandae pacis inter Cesaream et Regiam M. et inter Euangelicos protestantes status in rebus religionis.* Initium: *In primis ut pax Nurnberge facta et per Romanam Cesaream M. vniuersis statibus ad seruandum precepta modis omnibus*

1833

P O L E M I C I.

1834

bus seruetur &c. Adnectitur denique, quae primo, ut videtur, loco poni debebat, *Instructio pro nostro (Ferdinandi) fideli dilecto Leonbardo Straussen Consiliario et praefecto nostro in Brisaco eius videlicet negocij quod ipse nomine nostro tractare et expedire debet, apud generosum Joachimum Marchionem Brandenburgensem principem Electorem.* Incipit: *Prefatus noster Consiliarius hinc discedere propinquiore via et tempore quidem primo &c.* Data est: in ciuitate nostra Vienne. X. Ianuarij. Anno 39. Illustrat Fasciculus hic illa, quae ad hoc tempus apud Sleidanum, Goldastum, Hortlederum, Lunigium &c. leguntur.

XI. fol. 157. *Intellectus Prophetie et uerborum Esaię Propheetę, uaticinantis. Apprehendent septem mulieres virum unum* Septem Mulieres Exegetae nostro septem gratiae Spiritus sancti sunt.

XII. fol. 163. Iterum Excerpta Biblica.

XIII. fol. 169. Confutatio Epistolae ad Lutherum Ferdinando Rom. Regi adiectae hoc Titulo: *Ablainung aines erdichten Luterischen brieff, durch Johannem Dymophanium beschriben Anno domini M. D. XXXVIII.* Dedicatur Magistratibus quinque Pagorum Catholicorum in Helvetia videlicet: *Lucern, Schweytz, Uri, Vnderwalden vnd Zug,* et incipit: *Fürneme, Hochgeachten, lieb herrn vnd guete fründ. Der Hailig sant Peter hat weis ge-*

sagt In seiner andern Canonic &c. Nota est commentitia illa Epistola, quam primus promississe dicitur *Polycarpus Lyserus* a Bern. *Raupachio*, qui eam latine et germanice exhibet in *mantissa* T. II. *Austriae Evangel.* N. I. ad p. 32. nequaquam tamen ejus γμοιοτητος patronum agit. Eam jam 1538. in vulgus sparsam fuisse docet praefens Confutatio, quae inter alia neque *Ferdinandum* 1537. Oeniponte in *Tyrol* fuisse, neque unquam Conscientiae arbitrum ex *Ordine Minorum* habuisse adfirmat, quod utrumque eae Literae mentiebantur. Libellus totus legi meretur, sed finis deficit. Quid, si *Jobannes Faber* sub *Jobanne Dymophanio* latitat? Epistola ipsa an. 1783. rursus obtrusa rursus conficta ostenditur in T. I. *Freymüth. Betracht. &c. Augustae* 1784. 8.

XIV. fol. 193. *Jobannis Fabri* Iudicium de *Riegers* cujusdam Libello Zwingliano inscriptum: *Kurze vnnerricht vnd ablainung vber N. Riegers Zwinglischen Yerrsal.* Ipsi *Fabri* manu passim interpolatum et resectum est, dirigiturque ad *Ferdinandum* Regem, qui *Fabri* sensum expecterat. Damnat vero hic et refellit ea, quae in Libello circa sacram Caenam et cultum Imaginum erronea notaverat.

CCCCLXI.

Codex chartaceus lat. germ. 269
Sec. XVI. Folior. 254. f. continet varia ad Religionis in Germania